



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### Appellatio Per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Colonien. interposita in negotio Religionis

Hermann <V., Köln, Erzbischof>

[Köln], [1545]

VD16 K 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-35032





Th. 1440 a.



1. Caroli V edictum ꝑ. novatores, Worms 1521
2. — — — — — Lupulvea dñi Cöluam dno  
Subj. Kol. Lami zu blieben C. 1544,
3. ~~Septimus~~ Octidiffonibus dñi Capitalis zu C. 1544
4. Dux Palb. nuncius dñi Fey luyf, dñi  
Jurisdictione abjurjuratione, mit  
dñm aulmunt.
5. Appellatio Coloniensium in @ Relig. 44
6. Dñs Capital nra dñi Fey luyf. 25 Oct. 44,
7. Citatio Imperatoris ꝑ. Archiep. Col. 45
8. Appellatio Archiepiscopi,
9. Citatio Curie Rom. ꝑ. Archiep.
10. Responsio cleri Col ꝑ. appel. Archiep.
11. Caroli V. Dignitatis dñi Cölu.
12. Jo Cochleus ad Capit. col. 1. Aug 45.
13. Herm Archiep. ad Wormatienses
14. idem ad Imp. Carolum V.
14. Cochleus pro Roffensi et Thoma  
Moro
15. Capital zu C nra dñi dñm dñm dñm  
8 Aug 45
16. Dux Palb. nra dñi dñm dñm dñm  
17 Nov 45

Die alte Nummerierung ist falsch.

Insgesamt 30 Stücke

In Verzeichn. Bonn  
April 1857



17. Act. Decapitalz. C. protestat  
gegen die Curie Ludlow, 7 Dec. 45

18. Sententia Nuntii ap. pro  
Capitulo V. Decanum.

19. Instructione die dno mallijm  
Thoma in die Decapital  
und die die Ordinar.



45  
p. 2-7

## APPELLATIO PER

REVERENDISSIMVM DOMINVM

ARCHIEPISCOPVM CO.

*lonien. interposita in negotio**Religionis.*



APPELLATIO PER

REVERENDISSIMUM DOMINUM

ARCHIEPISCOPUM CO.

LEONIS MARSHALLIUS IN REGIA

Palatium





# N NOMINE

DOMINI AMEN. NOVE

rint uniuersi presentes literas inspecturi,  
Quod anno à natiuitate eiusdem Dei &  
domini nostri Iesu Christi millesimo quin-  
gesimo quadragesimo quinto, Indictione  
quarta, secundum usum, stilum & consue-  
tudinem scribendi in ciuitate & Diocœsi  
Colonien. die quidem Veneris, decima men-  
sis Iulij, hora quinta post meridiem, Impe-

rij Sacratissimi & Inuictissimi Principis & domini, domini Caroli, huius  
nominis quinti Romanorum Imperatoris semper Augusti, ac Hispaniarum  
Regis & c. domini nostri clementissimi, anno uicesimo quinto, Reuerendissi-  
mus in Christo pater, illustrissimus Princeps & dominus, dominus **HER-**  
**MANNVS** sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Ro-  
mani Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps elector, Vuestua-  
lia & Angariæ Dux, Legatusq; natus, ac Administrator Ecclesiæ Pa-  
derbornensis & c. dominus meus gratiosissimus, coram uenerabili uiro, domi-  
no Adamo Richardi, Decano Ecclesiæ sancti Cassij in Bonna, tanquam  
spectabili persona, & dignitate Ecclesiastica insignita, in præsentia ipsius  
Reuerendiss. gratiæ Sindici, meiq; Notarij & testium infra scriptorum ad  
hoc specialiter uocatorum & rogatorum in arce Brula constitutus, atque ma-  
nibus tenens quendam appellationis, prouocationis, apostolorumq; petitionis  
infra scripti tenoris libellum, animo & intentione, à quibusdam illiberalibus  
præsumptionibus, nouationibus, recusationibus & iniurijs illatis, & quæ  
porro inferri possint, (citra reuocationem quorumcunq; Procuratorum hæc-  
tenus per ipsius gratiam Reuerendissimam qualitercunq; constitutorum) ibi-  
demq; in medium proposuit, atque perspicua & intelligibili uoce dixit & al-  
legauit: Quod superioribus aliquot mensibus quædam prætensa appellatio  
nomine Reuerendorum, Illustrium, uenerabilium, egregiorum, ac religiofo-  
rum dominorum, Subdecani & Capituli Metropolitanæ, totius Vniuersi-  
tatis primarij & secundarij Cleri, necnon etiam Magnificorum, eximiorum  
ac doctissimorum uirorum dominorum Rectoris & Deputatorum quatuor fa-  
cultatum Vniuersitatis studij ciuitatis Coloniensis, à quibusdam prætensis,  
ut illi aiunt, nouationibus, ac cæteris grauaminibus, per Reuerendissimam  
ipsius gratiã ipsi, ut asseritur, illatis, taliter qualiter interposita fuerit. Ad  
quam licet ipsius gratia Reuerendissima ædita consutatione statim respon-  
derit: ac deinde etiam reliqui tres ordines siue status prouinciæ Coloniensis  
præter eas rationes, oblationes, excusationes, quas ipsius Reuerendissima gra-

A ij tia



ria plenas omnis honestissimæ æquitatis & petitionis sæpissime oratione & scriptis literis adduxit, precatuſ ut uniuersa huius causæ decisso ad constituendam Christianam & æquabilem Religionis ac doctrinæ rationem committatur bonis, eruditis, pacis publicæ studiosis aliquot uiris, prædictum Venerabile Capitulum, Clerum & Vniuersitatem rogarunt, desisterent ab incepta & parum liberaliter propoſita appellatione, nec paterentur certos quosdam assertores nomine, quo supra, prætenſam appellationem contra eius Reuerendiſſimam gratiam urgere & perſequi, ſed id agerent & efficerent, ut ab ea incepta planè deſisterent, admitterentq; quod ipſius gratia Reuerendiſſima cum ſumma pietate & concordia ſtudio peteret, neque committerent, ut certorum hominum cupiditatibus, totius prouinciæ, imò potius Eccleſiæ Chriſtiane tranquillitas uideri poſſit poſtpoſita eſſe: Nihilominus tamen Reuerendiſſimam ipſius gratiam re ipſa indies magis ac magis experiri aduerſariorum pertinax quoddam & inſidioſum lædendi ſtudium eo conuerſi, ut ipſius gratiam Reuerendiſſimam præter omnes adductas rationes, deſenſiones, oblationes, deprecationes, honeſtasq; excuſationes conentur in grauiffimas & impias criminationes adducere, dignitate omni ac debita reuerentia exuere, exutam multorum contumeliæ proſtituere, non ſine graui totius prouinciæ, adeoq; tranquillitatis Chriſtiane perturbatione, ſummaq; animarum pernicie. Et quia ipſius Reuerendiſſima gratia hiſ tam indignis iniurijs & grauaminibus ſe præter omnem pietatem lædi ſentit: uerita, ne deinceps grauius lædatur, idcirco omnibus melioribus modo, uia, iure, cauſa & forma, quibus melius & efficacius potuit & debuit, poteſt ac debet, coram prædicto domino Decano, Syndico, ac me Notario, etiam teſtibus infra ſcriptis prouocauit & appellauit, apoſtoloſq; ſaltem teſtimoniales ſibi dari, primo, ſecundo, tertio, inſtanter, inſtantius & inſtantiffime petijt. Subijciens ſe ac ſuos, ac quaſcunq; perſonas huic appellationi adhærentes & porro adhæſuras, Eccleſias, Monafteria, & pia loca, res quoque & bona, iura, priuilegia, libertates, ſtatuta, conſuetudines, & obſeruantias laudabiles, nouas & antiquas, ſingulari protectioni atque tuitioni liberi, Chriſtiani & generalis ſeu nationalis Concilij, aut Imperialis conuentus, cum proteſtatione, ne quid appellatione hac pendente à quopiam attentetur uel innouetur, ſeu attentari debeat: alioqui de nullitate omnium eorundem ac damnis, iniurijs & intereſſe propterea paſſis & illatis, patiendisq; & inferendis contra huiusmodi attentantes publice & expreſſè proteſtabatur. Cæteraq; omnia & ſingula ſe ſe facere dixit & fecit, quæ in ſequenti appellationis libello amplius continentur. Cui quidem Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Coloniensſi prædicto, ſic, ut dictum eſt, appellanti & prouocanti, etiam apoſtoloſ petenti, prænominaſ dominus Decanus, & ego publicus Notarius infra ſcriptus coniuſctim & diuiſim apoſtoloſ teſtimoniales ac alioſ tales, quales de iure meli-



us & efficacius dare debuimus & potuimus, dedimus & assignauimus, da-  
mus & assignamus presentis publici instrumenti tenore. Super quibus omni-  
bus & singulis premissis predictus Reuerendissimus Archiepiscopus Co-  
loniensis, Princeps elector, dominus meus gratiosissimus, a me Notario publi-  
co infra scripto unum uel plura publicum uel publica confici atque dari petijt  
instrumentum & instrumenta in meliori forma. Acta fuerunt & sunt hæc

Brulæ in arce Reuerendissimi Archiepiscopi predicti, sub anno Domi-  
ni, Indictione, die, mense, hora & Imperio, quibus supra. Presenti-  
bus ibidem ualidis, egregijs ac discretis uiris, Hermanno à  
Fischenich præfecto in Bruell, Iohanne Richui-  
no Iurium Licentiatò, Constantino  
Tricht præfecto in Go-  
dessberch, & Io-  
hanne  
Briell, testibus ad præmissa uoca-  
tis pariter & ro-  
gatis,

**• TENOR VERO APPELLATIO •**

nis pergamenie schedulæ, de qua supra fit men-  
tio, sequitur de uerbo ad uerbum,  
& est talis.

*A ij Cum*





# V M VIS NULLA

GRAVIOR INFERRI, NULLA OFFENSIO ad perturbendam Christianæ Reipublicæ tranquillitatem excogitari possit uehementior, quam retardare ac impedire, ne uetus Ecclesia Euangelicis literis, Prophetarum ac Apostolorum scriptis conformata adducatur in eam ueræ Religio-

nis, pietatis & doctrinæ lucem splendoremq; unde superioribus annis, labente disciplina uetere, in prodigiosas quasdam Ceremonias ac doctrinæ deprauationem deiecta est, recteq; cum humano, tum etiam diuino iure ac lege inductum sit appellandi remedium ad defensionem alleuationemq; eorum, qui præter leges & æquitatem in grauem uitæ, fortunæ, ac dignitatis dimicationem periculumq; aduersariorum odio adducuntur, magnam certè & necessariam causam habemus nos **HERMANNVS** Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis, Princeps Elector, & c. quamobrem coram te, honorabili nobis dilecto Adamo Richardi, Decano collegiatae Ecclesiæ Bonnensis, tanquam spectabili persona, etiam Syndico nostro, necnon Notario publico & testibus hic presentibus, de ijs iniurijs, grauaminibus, nouationibus, recusationibus, & maximis offensionibus prouocemus, protestemur atque appellamus, quæ nobis factione & insidiosis conatibus certorum hominum ex Venerabili Capitulo nostro Coloniensi, Cleri item & Vniuersitatis illiberaliter illatae sunt, & inferri grauius porro possint, ac proinde etiam appellandi prouocandiq; animo dicimus, conquerimur & allegamus, Quod cum in Reformandis Ecclesijs, quæ fœdis & impijs hominum erroribus conspurcatae uidentur, cum primis ad sacrosanctum Dei Euangelium, Prophetarum atque Apostolorum doctrinam spectandum sit, ad eiusq; rationem, ueluti certam & firmam Ecclesiæ Dei bene ac sanctè gerendæ regulam, omnia referenda sint ac corrigenda, quæ uel hominum erroribus, uel doctrinæ deprauatione, uel abusu impietate in peius corruerunt.

Nos autem, quod sine ulla nostri arrogancia dictum uelimus, eo ingenij nostri uim, studia, atq; uitæ actiones libenter, & pro imposita nobis Pastoralis cura conuertamus, hoc intueamur, ut quod publico omnium bono ac saluti esse possit, Ecclesiam à multis & magnis erroribus repurgemus. Illiberaliter sane, & præter omnem pietatem, faciunt aduersarij prædicti, quod tam sanctum & pium nostrum conatum prouocationis temeritate retardant, & cuius iurare studia, in re præsertim Christiana & omnis dignitatis plenissima, magnopere debebant, eius actiones omnes, & quicquid pro reformandâ Ecclesiâ, quæ  
homi



hominum erroribus ac doctrina impia misere corrupta iacet, pie à nobis uel suscipitur uel proponitur, uarie ac cupide perturbant, in grauissimaq; & falsas criminationes adducunt. Nam cum omnes, qui saluam esse Christianam Rempublicam cupimus, hoc spectare præcipue debemus, ut extet uera Dei Ecclesia, nulla doctrina falsa aut hominum erroribus defœdata: tum nulla laus maior, quam eius hominis esse potest, qui nulla re perinde atq; communi uirtutis uoluntate commotus, uerbum Dei diuinitus nobis in scripturis sacris reuelatum, cunctis proponit amplectendum: qui omnes res bene ac placere gerendas, omnes uitæ actiones, omnes deniq; animorum sensus ad illius regulam ac normam conformandas esse existimat. Est enim uerbum Dei certa quædam ac inflexibilis regula, ad quam omnes nos actiones nostras cõponere oportet. Neq; dubium est, quin nihil uerbo Dei uel addendum uel detrahendum sit, aut ulla falsa doctrina, ulla idololatria, impiusq; ac prophanus cultus in Ecclesia & populo Dei sit tolerandus: sed potius quam primum abrogandum, ex omniq; hominum memoria delendum sit, quicquid à uerbo Dei, à Prophetarũ & Apostolorum scriptis sit alienum ac dissentiens: id quod exempla patrum, Moysis, Dauidis, Iosue, Iosaphat, aliorumq; Prophetarum ueteris Testamenti abunde testantur, & confirmat uox illa de coelo facta & in nouo Testamento comprehensa: Nempe: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et rursus: Uoces meæ uocem meam audiunt, & non cognoscunt uocem alienorum. Quemadmodũ etiam Apostolus Paulus uoluit anathema esse, si angelus de coelo aliud Euangelizasset. Quoniam fundamentum aliud poni non potest præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Sic enim omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendũ, ad arguendũ, ad corripiendũ, & ad erudiendũ in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Neq; aliud canonicis Sanctionibus docetur, quam solum Christum audiendum esse: nec attendendum, quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid primus, qui ante omnes est, Christus faciendum esse præceperit. Neque enim hominis consuetudinem sequi nos oportet, sed Dei ueritatem, cum per Esaiam Prophetam loquatur & dicat dominus: Sine causa, inquit, colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, satisq; constat in spiritualibus sequendum esse, non quod consuetudine introductum est, sed illud, quod à spiritu sancto melius extitit reuelatum. Semper enim ueritas proponenda est consuetudini, utpote quæ ueritatis præsidio destituta, uetustas erroris est. Et alibi Augustinus: Ego solum, ait, ijs scriptorum authoribus, qui canonici appellantur, hunc honorem referre didici, ut nullum eorum scribendo errasse credam: & quis nesciat omnium Episcoporum scriptis sacram scripturam præponendam esse? ita ut de illa dubitari disceptariq; non possit, utrum uerum uel utrum rectum sit, quicquid in eo scriptum est, uel constiterit esse.



Et sane proprium ac peculiare munus seu officium Episcopi est, curare ut  
delicet ac diligenter providere, ut populus suæ fidei concreditus, non solū re-  
cta sanaq; doctrina erudiatur, uerū etiam errores atq; abusus, si qui in Eccle-  
siam irrepserint, gladio diuini uerbi rescentur: atq; adeo, ubi aperte Domi-  
nus, uel eius Apostoli & qui eos secuti sunt, sancti patres, sententialiter alia  
quid diffiniuerint, id usq; ad animam & sanguinē confirmare, nedum quicquā,  
quod in contrarium quoquo modo inductum sit, aut praua consuetudine, ac mo-  
ribus malis in Ecclesiā irrepserit, tolerare uel dissimulare: sed in eam potius  
animi curam incumbere, ut unā cum alijs Episcopis & clericis suis, si possit: sin-  
minus, ut solus Ecclesias suæ fidei commissas ita procuret, ne idoneis desti-  
tuantur ministris, qui & uelint & possint plebem pabulo sermonis Euangeli-  
ci reficere, Sacramenta fideliter, & iuxta ritum uerē Apostolicum admini-  
strare, & salutarem disciplinæ professionem in fide Christi uniuerso populo  
proponere. Hæc enim duo sunt ueri Pontificis opera, ut scilicet à Deo discat  
scripturas diuinas legendo & sæpius meditando, & ut populum doceat, sed  
ea tamen doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non quæ ex proprio corde, uel sen-  
su humano ipse sibi desumpserit, utq; exemplo Apostoli Dei oportune &  
importune docendo instet: Ecclesiamq; suam amare, instruere ac prudenter re-  
gere satagat: uitia ipse nec habeat, nec in alijs ferat, omniaq; summo studio,  
& perpetua erga Deum uoluntate faciat, quæ cum salute æterna sunt coniun-  
cta. Et quemadmodum hæc uera & solida sunt Episcopi officia in Ecclesia  
Dei bene ac foeliciter regenda, ita contra, Ecclesiam siue populum Christia-  
num magnopere decet, ad eorum se præceptiones, doctrinam atq; institutio-  
nem conformare, qui omnes labores pro augenda & amplificanda gloria Dei  
suscipiunt: suspicere & cum magna reuerentia imitari doctrinam sui Episco-  
pi, eundemq; non aliter, quàm Dei legatum, & ueritatis præconem amare.  
Imo, si ita uel causa uel casus etiam postulat, eundem suum Episcopum, in cau-  
sa maxime honesta & necessaria, qualis potissimum est Religionis ac fidei  
Christianæ, propugnare ac tueri: propterea quod Episcopus in eiusmodi fi-  
dei atq; Religionis causa possit etiam contra generalia Concilia & Cano-  
nes statuere atq; ordinare.

Hæc causa si nos in hac grauissima nostra Episcopali functione non com-  
moneret, ut laborantis Ecclesiæ, & in maximam doctrinæ deprauationem ad-  
ductæ, partes omnes in tutelam ac fidem nostram suscipere uelimus: si non na-  
turæ impetu, & perpetua in Christianam Rempubli. uoluntate impellere-  
mur ad repurgandos Ecclesiæ errores: tamen hanc operam, quam soli Deo im-  
pendimus, detrectare bona conscientia non possemus: propterea quod nostro  
nos deesse officio à Deo nobis iniuncto non oportet. Et nemo ignorat, in Co-  
mitijs Ratisponæ per Cæsaream Maiestatem dominum nostrum clemen-  
tissimum,



existimum, reliquosq; Imperij ordines, grauitè constitutū iniunctumq; esse omnibus inuniuersum Episcopis & Ecclesiæ prælati, ut ipsi inter se & quisquis apud suos Christianam Reformationem conciperet, cæterisq; imitandam proponeret, quæ ad decentem & salutarem Ecclesiarum administrationem usque ad futurum generale aut nationale Concilium deseruiret. Item integrum ac liberum relictum esse statibus Imperij in suis ditionibus de Religione Christiane ac piè constituere, decretumq; Augustanum, quantum ad Religionem spectat, in posterum locum, potestatemq; nullam habiturum, quod & nuper rime Spiræ in Comitijs rursus renouatum & confirmatum est.

Quamquam autem in hoc ætatis nostræ declinantis curriculo, & graui quodam flexu, nihil maiori studio optemus, quam ut omnia in Ecclesia Dei tranquilla, pura, & ad Iesu Christi, Prophetarum atq; Apostolorum doctrinam esse possent confirmata: cum tamen nos in hanc reformandæ Ecclesiæ curam ultro incumbentes superioribus annis Comitijs indictis, admirabili consensione rogarent Diocæseos ac prouinciæ nostræ Colonien. ordines omnes, præcipue uero Venerabile Capitulum nostrum, ut iuxta Ratisponen. recessum in Diocæsi nostra piam & salutarem Ecclesijs Reformationem, non nomine duntaxat, sed potius re ipsa constituere uellemus, eoq; facto, animiq; iudicio planè confiterentur, priorem eam uidelicet Reformationem, quæ anno tricesimo sexto in prouinciali, ut uocant, Concilio, sub nomine & titulo nostro ædita est, nequaquam ad tam arduum negotium piæ & salutaris Ecclesiasticæ Reformationis sufficere posse: quemadmodum etiam ad constituendam ueram & solidam Dei Ecclesiam satis esse, aut inuectos errores repurgare non potuit: detrectare hanc operam, aut negligere ordinum ac statuum nostrorū, præcipue uero Venerabilis nostri Capituli uoluntatem petitionemq; amplius non debebamus: quo minus id, quod tantopere desiderabatur, tandem præstaremus: formam uidelicet, aut consultationem Ecclesiæ ac Religionis purè, rectè & piè constituendæ. Quod etiam eo maiore cum studio ac sollicitudine faciendum nobis esse putauimus, quòd non ignoraremus, quam multa & passim, præcipue uero in eam Ecclesiam, cui nos præfæcti sumus, irrepsissent, quæ cum uerbo Dei & ueteris Ecclesiæ typo, cum Prophetarum ac Apostolorum doctrina planè pugnarent: adeoq; omnia rectè uiuendi præcepta, pessimis hominū erroribus, abusu uitijs & consuetudine mala deprauata esse, ut uix uestigium aliquod primitiue illius ac uerè Apostolicæ ac Catholicæ Ecclesiæ superesse uideri possit. Nam & sacerdotes & quicumq; regendis Ecclesijs atq; administrandis Sacramentis, docendoq; populo præfæcti fuerant, in eam officij Pastoralis neglectiōem coniecti sunt, ocio, luxu, ac corporis mollicie fracti: ut nec ipsi solidam scripturarū cognitionem ad instituendam plebem adferre: nec alios piè ac rectè docere potuerint, quod ipsi negligenter non didicissent:

cissent:



cissent: contenti pro catechismo ineptas quasdam & pueriles traditiones, pro ueritate Euangelij prophanas & impias hominū assertiones docere, quo etiam factum est, ut Sacramentorum uera illa & salutaris dispensatio unā cum Ecclesiæ disciplina prorsum neglecta fuerit ac conculcata. Vnde desolatio Parochiarum ac horribilis quædam uastatio in populo Dei consecuta fuit, quæ non solum nos, sed omnes in uniuersum Episcopos ad Christianam ueræq; piæ & salutarem Reformationem ex debita Pastoralis officij sollicitudine incitare ac compellere merito debebat.

Hanc Ecclesiæ laborantis & propè depositæ curam cum ad animum memoriamq; reuocaremus: non destitimus eos præsertim, qui ex Venerabili Capitulo nostro & Clero Colonien. plus cæteris & animi & industriæ ad hanc rem conficiendam conferre posse uidebantur, monere & rogare, ut rationem aliquam ac formam solidæ ac Christianæ Reformationis conciperent. Quoq; maturius istud ac commodius præstare possent, ijsdem unā cum certis alijs ad hanc rem delectis materiam ac ueluti syluam quandam futuræ Reformationis exhibuimus, mandantes, ut quæcunq; scripta ac tradita essent, quam diligentissimè in domino Iesu Christo expendere, suumq; iudicium, quæ addenda uel referenda forent, liberè & sincere interponerent. Et ut omnes laborantis ac desertæ Ecclesiæ partes in integrum statum restituerentur, negotiū eisdem dedimus inueniendi ac deligendi uerbi Dei concionatores, qui Ecclesiæ sanctæ gerendæ, Sacramentis administrandis, erudiendoq; populo præesse possent. Noluimus enim in hoc grauissimo ætatis nostræ deflexu, tanquam postremo uitæ curriculo quicquam omittere, quod cum solidæ & perfectæ reformandæ Ecclesiæ ratione uideri possit coniunctum, idq; eo consilio, quo nos syluam seu materiā sic, ut præmittitur, ab ijsdem deputatis reuisam, deinceps Capitulo nostro & reliquo Clero amplius expendendam offerre possemus. Quæ tamen in re ac pia sollicitudine nostrâ, quam hætenus restaurandæ Ecclesiæ impendimus, uehementer dolendum, etiam ægrè ferendum est, non potuisse nos, id quod piè & legitime petebamus, ab ijs, qui ad curam ac rationē ineundæ ac concipiendæ Reformationis ueræ religionis delecti & deputati essent, obtinere aut consequi. Nam præterquam, quod syluam seu materiā prædictam diu admodum ac longo tempore apud se retinuerint, ac concipiendæ plenioris Reformationis munus de die in diem extraxerint, etiam de fidelibus uerbi ministris ac concionatoribus prædictis diligentiam aliquam adhibere non curauerunt. Ne illud addamus, quod tamen dissimulare sine iusto animi nostri dolore non possumus, nos ex inspectione materiæ seu syluæ prædictæ, posteaquam ea tandem per eosdem delectos seu deputatos reuisa ac nobis restituta fuit, in ueritate comperisse prædictos delectos seu deputatos in reuisione seu collatione multorum articulorum aduerè piæ & Christianæ Reformationem utiliter &



liter & necessario pertinentium, ueritatem diuini uerbi ac uere apostolicam tra-  
ditionem, priuatis ac humanis suis affectionibus postposuisse: uariosq; abusus  
ac errores contra uerbum Dei ac uere apostolicas traditiones subortas, palli-  
asse uerius quam emendasse. Quamobrem cum praeter spem expectationemq; no-  
stram agnosceremus restituendae Ecclesiae ac ueteris doctrinae curam a Depu-  
tatis deponi, nec ullam admitti seriam actionem, qua Ecclesijs tam misere colla-  
psis re ipsa succurri posset, desolationem uero & uastationem Ecclesiarum in-  
dies horribiliter augeri, doctrinam subinde magis magisque corrumpi, Sacramen-  
torum administrationem peruerti, & quod sine cuiusq; iniuria in tota hac  
causa dictum esse uelimus, de eoq; protestamur, cum portentosas idololatrias  
immane multiplicari, eos Parochijs praefici, sacerdotijs cumulari, a quibus ni-  
hil quam totius ueteris ac uerae Religionis consuetudo exspectanda foret, uide-  
remus: cum denique inter cetera spe omni, nihil subsidij in nostris ad hanc rem con-  
ficiendam reliquum esse plane perspiceremus, coacti sumus in re tam ardua &  
necessaria constituenda, aut aliorum bonorum ac piorum uirorum opera uti, aut  
conceptum semel ac diu desideratum Reformationis opus intermittere pro-  
sus ac deserere. Quorum alterum ut faceremus, ipsius causae magnitudo postu-  
labat: Alterum sine impietate facere non potuimus.

Idcirco ne diutius a spinis uuas & a tribulis ficus frustra colligere uelle ui-  
deremur, quosdam boni testimonij uiros, rerum spiritualium peritos, & qui mu-  
per a Caesarea Maiestate & statibus Imperij Ratisponae ad huiusmodi ne-  
gotia adhibiti, etiam ab aduersariorum primarijs & antesignanis, nobis mul-  
tisq; alijs praestantibus uiris ob singularem animi pietatem, moderationem ui-  
tae, ac doctrinam multiplicem magnopere laudati sunt, Bonnam ad nos accer-  
siuimus, quo futurae Reformationi uiam quandam praepararemus, & ad eam  
quasi gradum quandam faceremus, nihil aliud illis committendo, quam ut uerbum  
Dei sincere & fideliter populo annuntiarent, uiamq; quandam futurae Refor-  
mationi praemunirent, abusus ac falsos illos impiosq; cultus, quantum per diui-  
ni uerbi auctoritatem ulla ratione fieri posset, in initio quidem notarent, comone-  
rentq;, quid in uniuersa Religione, in Ecclesia Dei, in doctrina sacra sequen-  
dum & amplectendum potius foret, quam statim corrigendum, aut in ipso restau-  
randae Ecclesiae limine abolendum. Similiter simplicem quandam ac piam de-  
liberationem, qua ratione scilicet Christiana & in uerbo Dei fundata refor-  
matio usq; ad futuram liberam & Christianam synodum generalem siue na-  
tionalem, etc. institui possit, per pios quosdam ac fideles non modo literarum  
scientia, sed etiam uitae sanctimonia praeditos uiros conscribi fecimus, in qua  
nihil aliud, quam certa quaedam pia ac salutaris ratio doctrinae, administra-  
tionis Sacramentorum, Cerimoniarum, aliorumq; ministeriorum Ecclesiasti-  
corum, non modo Euangelicae ueritati, uerum etiam Apostolicis & uere ca-  
tholicis



atholicis traditionibus consentiens describitur, ac ueluti forma quaedam futurae Reformationis simpliciter & fideliter deliniatur.

Quæ omnia cum ita sint, cum in nullam propriam, aut priuatam aliquam utilitatem nostram, multo minus in damnum siue præiudicium alterius, sed in solius Dei gloriam, ac ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, facta ac proposita à nobis sint, cum nullius reprehendi actio, quæ quidē cum reparanda Ecclesia Dei coniuncta sit, debeat, postremo cum omnis nostra cura, sollicitudo animi atque diligentia in hoc defixa sit, ut languens ac propè deserta Christiana Respublica in pristinum ueræ ac solidæ Religionis statū, unde nuper deiecta est, salutari uerbi Dei remedio restituatur, non licuit cuiquam, præsertim certis aliquot hominibus ex Capitulo Ecclesiæ nostræ, Cleroq; ac Vniuersitate Colonien. prædictæ, ut tam præfractè & acerbè pijs nostris conatibus se opponerent: & quod nos pro restauratione collapsæ Ecclesiæ ueteris, pro augenda & amplificanda gloria Dei, pro constituenda uera Religione, ex qua omnis salus nostra propendet, nobis sumimus, id in grauem, etiam falsam criminationē trahere, multo uero minus etiam à nobis contumeliosè deficere, aliosq; audaci confidentia ad similem defectionem non precibus modo hortari, sed minis etiam ac alijs machinationibus impellere.

Nihilominus tamen præmissis omnibus non attentis, sed spretis potius ac neglectis, aduersarij sanctissimo huic instituto nostro, aut potius Dei ministerio, manibus pedibusq; restiterunt, & quamplurima contra Reformationem nostram præsumserunt, fecerunt, & attentarunt, & indies grauiora præsumere, moliri, machinari, facere, & attentare assidujs studijs conantur. Primum enim illi, qui prioris illius Reformationis prouincialis architecti fuerunt, una cum reliquis partium aduersariarū primoribus & antesignanis, partim suis & contra iura & ueterum instituta acquisitis & accumulatis sacre dotijs uitæq; licentiosæ metuentes, partim etiam, quod eo sunt præditi ingenio, ut nisi quod ipsi fecerint, nihil rectum putent, confestim mirabili inconstantia & metamorphosi ex laudatoribus facti sint acerbissimi uituperatores & hostes, suisq; importunis clamoribus in Capitulo Colonien. eò rem producerūt, ut ipsis permissum sit, nomine Capituli à nobis acriter summoq; conatu contendere, quo accersitos Euangelij doctores à nobis rursus ablegare, & à cœpto Reformationis opere impiè & inuerecundè desistere uelimus. Sed cum nulla bona conscientia eos, quos noueramus Euangelium Christi pure & fideliter annunciare, tam inclementer indictaq; causa ex Diocœsi eijcere possemus, præsertim quum nulli essent, qui in locum illorum surrogari, qui uic populo graui uerbi Dei fame laboranti, & infinitis superstitionibus miserè pereunti, utiliter & laudabiliter præesse possent: ac proinde non semel, sed multoties aduersa

i. 9. 10. Al.

forts.  
später!



uerſarios noſtros rogafſemus, audirent concionatores uerbi Dei, quos Eccleſie præfecimus, atque cum his pie & Chriſtiano more propoſita ciuili diſputatione conferrent, quæ ad regendam & conſtituendam Eccleſiam Dei neceſſaria ſunt: Etiam arguerent ac damnarent, quæ in illis reprehendenda uitia criminaretur, ibi aduerſarij hac deprecatione atque oblatione, licet æquiſſima eſſet, prorsus reiecta & exploſa, ſcriptum compoſuerunt, in quo multa illi de ratione uocandi, probandiq; miniſtros Eccleſiarum ex ſcripturis & cano- nibus congeſerunt: quorum omnium ratio & doctrina, ſi iuxta Euangelium Dei, Prophetarum ac Apoſtolorum ſcripta, ab ijs hodie ſanctæ & religioſe coleretur, qui diuina humanis miſcent, omniaq; prophanis Ceremonijs, fabulis, peſſimisq; erroribus, corrumpunt & contaminât, rectius multo & tranquil- lius, non ſolum in Eccleſia, ſed uniuerſa Repub. Chriſtiana omnia gererentur. Sed tamen aduerſarij, qui illa magis conſutandæ, quàm reparandæ doctri- næ Chriſti ſtudio collegerunt, ueriti forſitan, ne ſuis poſſeſſionibus, dignita- tibus, & cæteris Eccleſiaſticis beneficijs exciderent, accumularunt in eodem quoq; ſcripto grauiffimas in quosdam noſtrorum concinatorum criminatio- nes, quarum eos ut conuincerent, nullis noſtris poſtulationibus aut eſſlagita- tionibus unquam adduci potuerunt. Quin etiam ſub illud tempus, anno uideli- cet quadrageſimotertio, quo prouinciæ noſtræ Colonienſis ordines ad comi- tia Bonnæ indieta conſcripti fuerant (quos etiam certi aliquot homines ex Capitulo noſtro audaci ſua auctoritate præter noſtram iuſſionem & morem ueterem cum inſigni noſtri contumelia conuocare conati ſunt) idem ſcriptum de ratione uocandi & comprobandi Eccleſiarum miniſtros, non leuibus cri- minationibus recitari fecerunt, quantaq; potuerunt importunitate, contende- runt, ut & cæteri ordines pio & neceſſario Reformationis inſtituto reſiſte- rent, & unâ cum iſtis poſtularent, ut nos accerſitos illos, qui ſynceram Chri- ſti doctrinam & diſciplinam re ipſa reſtituere laborabant, à nobis remoue- remus. His enim ablegatis, facile à reali ſe Reformatione tutos fore ſpera- bant: Sciennes, quàm pauci in Diocœſi Colonien. pro Chriſto hac in re pe- riclitari uellent, quàm pauci quoq; ſint, qui aliquid in iſto præſtare miniſte- riualeant. Quanquam autem in hoc Conuentu aduerſarij nullum non moue- runt lapidem, extremaq; tentarint, quo cæteros ordines, qui nobiſcum conſen- tiebant, à piæ & ſynceræ Reformationis inſtituto deducerent, & in ſocieta- tem rebellionis aduerſus nos pertraherēt, eaq; de cauſa, non abſque luculenta & inſigni contumelia auctoritatis noſtræ cum ordinibus ſeorſum inuſitato more egerint, eos tamen, quos accuſauerant, ad reſpondendum coram obiectis criminibus admittere noluerunt, etiamſi deſenſio nemini deneganda ſit. Qui- bus tamen rebus omnibus non commoti, reliqui ordines conſtanter, ita ut bo- nos uiros & de Chriſti gloria ſuiq; Principis honore ſollicitos decebat, in propoſito perſiſtiterunt, nec ſe à nobis, quos nihil niſi ſalutem ipſorum quaerere



nouerant, abstrahi passi sunt: sed liberum nobis permiserunt, ut ex ipsis & alijs uiros pios & moderati ingenij deligeremus, qui communicato Consilio rationem siue conceptam formam Reformationis prædictæ unâ cum eis, quos ad hanc rem conficiendam delegissemus, latius expendere, quæq; ad commodissimam Ecclesiasticæ Reformationis rationem facere quoquo modo uiderentur, latius statuere ac præscribere curarent. Quo facto aduersarij multo magis irritati inflammatiq; fuerunt, nec ullum finem aut modum fecerunt, non solum deprauandi oppugnandiq; hoc nostrum institutum, sed etiam infamandi eos, quorum ad id opera utebamur. Eaq; de causa illorum uocationem & ministerium acerrime impugnarunt, in eoq; scripto pleno omnis arrogantiae & contumeliosæ reprehensionis, nos, qui de ipsis bene meriti sumus, nostrumq; institutum sanctum multis probris onerarunt. Tametsi illi uocationem, innocentiam & doctrinam suam optimis & firmissimis argumentis defenderant, idq; libellis in publicum æditis, sub titulo.

Was Euangelion nun zu Bonne im Ertzstiffe Cölln geleret vnd gepredigt wırde etc. Item/ Die andere vertheidigung vnd erclerung der Christlichenn Leere in etlichenn furnemen heuptstuckenn so dieser zeit zu Bonne/ 20.

Quæ quidem scripta nos hoc in loco & uice grauaminis pro iustificatione præsentis Appellationis repetimus, atque pro repetitis haberi uolumus. Itaq; aduersarij his omnibus posthabitis & contemptis, cum nos eodem anno secundum conuētum prouincialem indixissemus, & conscriptam Reformationis formulam (quam Capitulo aliquot ante diebus legendam inspiciendamq; miseramus) ordinibus prouinciæ exhibuissemus, precati, ut singuli ordines certos aliquot eosq; eruditos, tranquillitatis Christianæ amantes, & bonos uiros deligerēt, qui cum ijs, quos ad eam rem nos daturi eramus, conceptam à nobis Reformationem instituēdæ Religionis perlegerent, omnia eius capita diligenti animi iudicio excuterent, & sicubi opus esset, corrigerent, breuiter ita perficerent, ut uerbo Dei quàm maxime consentanea essent, atq; ad restituēdam Ecclesijs doctrinam & disciplinam Christi quàm efficacissimè ualerēt, non solum hanc iustissimam & pernecessariam petitionem contemptim reiecerunt, uerum etiam librum à nobis oblatum contumeliosè criminati sunt, quasi innumerabilibus falsis & hæreticis doctrinis præceptisq; scateret. Cuius tamen rei ut fidem facerent ac probationes adferrēt, adduci nullo modo potuerunt, prætexentes angustiam temporis ad excutiendum librum non sufficientis, dariq; sibi tempus longius postulabant: Vt scilicet uniuersam Reformationem, quo minus ea pijs ingenijs proponeretur, confutarent.

Quan



Quaunque autem nos tam insidiosam dilationis petitionem rejicere optimo iure potuissemus, præsertim cum aduersarij librum fere quatuordecim diebus, antequam reliqui ordines, inspiciendum accepissent & præmeditati ad hanc causam accessissent, meritoq; si quid habuissent reprehensione dignum, id coram alijs statibus prouincialibus proponere, ac in medium proferre debuissent. Cum iuris & moris sit, uoces in communi, & non seorsim dare, quo maturior fiat deliberatio per congregatos. Ne tamen ulla in re, uel aduersariorum uoluntati defuisse: uel sancti huius conatus progressum neglexisse uideri possimus, placuit, ut aduersarij haberent duarum, aut si opus esset, quatuor septimanarum spacium, inter quod ea, quæ improbarêt loca, in libro nostro monstrarent, & cur improbanda ducerent, simpliciter explicarent. Et uicissim, quæ pro locis illis ex uerbo Dei, & cæteris Ecclesiæ traditionibus adduci possent, semotis affectibus & odijs, religiose cognoscerent.

Verum aduersarij nihil minus in animo habentes, quàm curare, ut pia & sincera Reformatio constitueretur, sed potius omni animi impetu in id incumbentes, ut pleraq; etiam, reclamantibus conscientijs, damnarentur, composuerunt librum, quem Antididagma inscripserunt, in quo nihil aliud agunt, quàm ut prænominatam formulam instituendæ ac reformandæ Ecclesiæ propositam in uniuersum improbent, quæ à nobis de sententia sacrosancti Euangelij, Prophetarum & Apostolorum piè & rectè conscripta, etiam ex ueteribus scriptoribus in exemplum reparandæ Ecclesiæ desumpta atq; tradita sunt, arguant sua omnia, commendent, nihil denique probent, nisi quæ falsis hominum opinionibus in Ecclesiæ usum inducta sunt. Itaq; præfixa est eidem libro præfatio grauissimarum ac falsissimarum criminationum plena, in qua, odio nimirum Christianæ & solidæ Reformationis commoti, eo etiam prolabantur dementia, ut asseuerare palam in ea non uereãtur, malle sese immansissimo & hæreditario ac insatiabili Christiani sanguinis hosti Turcæ dedere illiusq; crudelissimam & foedissimam seruitutem, & in omni memoria inauditam tyrannidem ferre, quàm à concepta semel sententia uel quicquã discedere, uel se cum Protestantibus (quos Sectarios uocant) coniungere, aut denique piam Ecclesiæ concordiam resarcire, id quod in processu causæ latius deducetur, ac sigillatim amplius suis loco & tempore congruis & oportunis declarabitur & ostendetur.

Neq; hac facti indignitate atque insolentia contenti fuerunt aduersarij, sed etiam illum librum paulo post, primo Germanicè, deinde Latine, magnifico cum titulo typis excudi, ac ubiq; locorum diuulgari ac uenundari fecerunt: quæ res quoniam apud imperitã plebem uidebatur doctrinæ diuortium, dissensionemq; ad deterrendas uel saltem confundendas pauidas conscientias gignere

B ij posse:



posse: cōmonuimus rursus, ut ex omnibus prouinciæ ac statuum ordinibus certi aliquot boni uiri deligerentur, qui causæ huius dimicationem componerent, statuerentq; quid amplectendum aut fugiendum in tota nostra conscriptione putarent: Interim quo minor esset confusio, additionem Antididagmatis remouerentur: darentq; hanc operam Iesu Christo & eius Ecclesiæ, ut quæ ad ueram & solidam doctrinam pietatemque pertinerent, summo studio perficerent.

Sed hæc tam pia commonitio, & causa Iesu Christi, nihil ualuit apud aduersarios, quò minus illi non solum indignis iniurijs ac contumelijs, quæ in usum ac doctrinam ueræ Ecclesiæ concepta ac proposita à nobis fuerant, inuerecundè afficerent, uerum etiam ad Cæsaream Maiestatem, & Romanorum Pontificem, ad inflammandum eorum animos literas dederunt, quibus nos atrocissimè accusarunt: Nec multo post, his omnibus adiecerunt turbulentam, friuolam & temerariam appellationem, in qua nihil illi atrocissimorum criminum prætermiserunt, quod non in studia atq; actiones nostras incredibili impudentia, peruicacia, atq; adeo impietate singulari effuderunt. Nempe nihil nos cum ministris nostris, sprete omni ratione legis diuinæ, sanctorum Canonum, numeris Episcopalis, atq; decretorum Imperialium, quæ ipsi subscripserimus, agere aliud, quàm ut in Coloniensi prouincia dissensionem, emulationes, rixas, sectas, & nouæ subinde ac uiolentiæ turbationes diuini cultus excitentur, unde Ecclesiæ Metropolitanæ uastatio, insignis Diocæseos indubitata euersio, almæ Vniuersitatis interitus, Catholice Religionis extirpatio, omnis obedientiæ dissipatio, rerum omnium horribilis confusio, deniq; totius inferioris Germaniæ ruina sit consecutura.

Et ut breui oratione, quæ uolumus, quæq; causa postulat, dicamus, aduersarij nostri prouinciales Ecclesias sine ulla intermissione sollicitant, instigant, impelluntq; ut suæ impie appellationi adhæreant, prout & quasdam circumiacentes Ecclesias importunis suis instigationibus, eo audaciæ & impietatis cōmouerunt, ut interpositæ appellationi sese adiunxerint: nihilq; non faciunt, ut Reformationē pie inchoatam radicitus extirpent, uerbum Dei & renascens Euangelium rursus opprimant, populo superiores abusus obrudāt, horribiles idololatrias in usum reuocent, ueros cultus Dei abrogent, superstitionosas Ceremonias restituant, rectam doctrinā pijs mentibus eripiant, seditiones concitent, defectionem parent, deniq; ut nos in hac sollicitudine ac summa cura restituendæ ac reparandæ Ecclesiæ singulari, cum impietate non solum turbent, inquietent & molestent, uerum etiam omni dignitate exuant, tandemq; ex uniuersa Diocæseijciant.

Cum



Cum itaq; omnia & singula præmissa sic, ut præmittitur, se habeant, & aduersarij, ut dictum est, nostrum hunc conatum & studium reparandæ Ecclesiæ in grauißimas, falsas & impias criminationes adducant, eius odio commoti, nos diuersis exquisitis medijs multipliciter molestarint, uexarint, inquietauerint & turbauerint, ac molestant, uexent, inquietent, impediant & faciant, quominus dicta Reformatio in usum Ecclesiæ adduci possit, & quod grauius est, commoueri nulla pietate queant, ut quæ ad turbulentam seditionem uergere uideant, ab illis sibi temperent, sed contra indies magis magisque conspirationem aduersus nos excitent, & ad quosdam Comites, nobiles, oppida, ciuitatesq; nostras literas dent, quibus sollicitant & adhortantur, ut à nobis, tanquam domino suo atq; ordinaria potestate, ad ipsos deficiant: sicut illa uerba ad Senatum & populum ciuitatis Kempenæ, & plerosq; alios nostros subditos scripta, & per totum nostrum Archiepiscopatum dissipata clare testantur: *Ir neben den andern Stenden vnd gemeine Landschaft bey vns dem Capitel pleiben/ vnd vns gehorsam sein/ vnd dem Herrē/ vñ den seinen nit.* Et interim Canonibus caueatur, ut Clericus suo Episcopo inobediens, aut ei insidias parans, aut contumeliam, calumniam, aut conuitia inferens, deponi debeat, præsertim cum incorrigibilis sit. Sitq; insuper iniunctum Episcopo, ut clericos ab insolentijs arceat, magna nobis & necessaria causa est, quamobrem huius insignis iniuriæ indignitatem ab Ecclesia Dei, honestissimisq; institutis arceamus atque propellamus: præsertim cum hæcenus aduersarij in repurgandis uitijs, non solum præfractè contumaces, sed etiam negligentes & supini fuerint, & sint, cautiūq; Canonibus sit, ut si Suffraganeus aut Capitulum nõ faciat ea, ad quæ tenetur, quod tunc Archiepiscopus eo inuito supplebit uicem illius, & in Parochia ordinabit clericos, ac ministros instituet in Ecclesijs, & c. Habemus enim nos Iurisdictionem ordinariam, cogimurq; in primis Deo reddere rationem nostræ uillicationis: quod & eo magis considerare nos oportebat, quod senex & exactæ fere ætatis simus, & proxime apud Deum migraturi, quodq; tanquam Princeps Elector unã cum Statibus Imperij Ratisponæ promiserimus Reformationem nostræ Ecclesiæ constituturos nos esse: Quæ si omnia ita, ut dictum est, non forent, si ulla honesta ratione mutare institutum possemus, tamen constantiæ grauitatisq; nostræ non erat, contra rectam conscientiam nostram, cui semper, etiam contra superioris potestatis iussum obtemperandum est, agnitã ueritatem uel deferere, uel ueteres abusus restituere. Ad hæc, cum iure permissum sit, ut Episcopus solus requisito consilio Capituli, licet non habito consensu, ueterem ritum aut consuetudinem tollere possit per suum Statutum, si ualde enorme præiudicium patiatur Ecclesia, & notissimum sit ex antiquis ritibus & obseruantijs, incredibile damnum & periculum animarum



Ecclesias nostras passas esse, & longe grauius, si restituerentur, passuras fore, deniq; cum iure Canonum expresse caueatur, posse Episcopum, si iniuste in iure suo Episcopali grauetur aut molestetur, aut uerisimiliter molestari timeat aut turbari, appellare ad generale Concilium, idq; maxime & antea omnia procedat in causa fidei & Religionis, in qua Concilium, & non Papa debeat esse iudex: cumq; ipse Pontifex, cuius proprium officium est certam Christi doctrinam in Ecclesia retinere, nullo animi iudicio, sed pessimorum hominum criminationibus falsis adductus, indicta causa hærescos nos, atq; furiosæ insanie damnauerit, impiuq; hæresiarcham & Archiepiscopi nomine indignum famoso scripto nominauerit. Postremo cum in multis Comitibus per Cæsare. Maiest. & reliquos ordines sacri Romani Imperij pragmatica sanctione constitutum sit, quod iste & consimiles fidei & Religionis controuersæ non aliter, quam in libero, Christiano, ac in Germania indicendo Concilio amicabiliter conciliari & concordari debeant, etc. His omnibus de causis, indignissimisq; iniurijs comoti nos: & quod intelligamus, non solum nos, ordinesq; ac reliquos status nostros, & quicumq; nobis adherent uerum etiam reliquos Imperij ordines, qui præmissis pragmaticis sanctionibus interfuerunt, easdemq; subscripserunt, per præmissa multipliciter & grauissimè læsos, grauatos, oppressos & contemptos, ueriti etiam eos in posterum grauius lædi, grauari, opprimi & contemni posse, propterea quod iidem aduersarij non contenti sunt grauissima nos contumelia effectos esse: sed etiam in eam inuerecundam animorum impotentiam coniecti sunt, ut eos, qui nobis tanquam domino suo atq; ordinario Episcopo iurisurandi Religione obstricti sunt, ueluti quidam ex Capitulo nostro, Clero & Vniuersitate, etiam nostri consiliarij, commissarij, Vasalli, & alij impie cogant, præter datam fidem, præter naturæ obligationem, præter iurandum, sese interpositæ appellationi ipsorum contra nos inscribere, & eius se consortes facere. Præter hæc quoq; conantur, contra omnem ordinariam potestatem, ius diuinum atq; humanum, inquisitionem in omnes eos, qui nostram Reformationem, doctrinam piam, & salutarem Ecclesiæ administrationem amplectuntur, proponere, qua facti, odijq; indignitate quid dici potest crudelius? Inciuile & inhumanum esse iudicant leges ciuiles, seruum hominem contra suum dominum habere testimonij dictionem. Sed aduersariorum crudeli edicto nostri aliquot homines, ut iam dictum est, coguntur in perniciem nostri ipsorum domini inscriptionem facere. His alijsq; de causis grauissimisq; iniurijs nos omnibus melioribus modo, uia, causa & forma, quibus melius & efficacius possumus & debemus, pro nobis ac nostris, omnibusq; alijs & singulis huic appellationi adherentibus & porro adhaerentibus, à præmissis turbationibus, impedimentis, molestationibus, diffamationibus, iniurijs, cõspirationibus, molitionibus, & conaminibus, in stincludu magis quorundã factiosorum  
homi



hominum, quam unanimes consensu totius Capituli, Cleri & Vniuersitatis sue  
cessiue factis & illatis, fiendis & inferendis, una cum omnibus & singulis emer  
gentibus, incidentibus, annexis & connexis, actisq; & actitatis & processu  
bus, quibuscumq; praemissorum occasione, quomodolibet factis & secutis, ac in  
posterum forsan secuturis, caeterisq; grauaminibus quibuscumq; a praedictis  
aduersarijs, omnibusq; alijs & singulis sua quomodolibet communiter uel diuisi  
sim interesse putantibus, inflictis, & adhuc perdurantibus, & in posterum  
forsitan infligendis, comminatis, ad liberum, Christianum & generale in Ger  
mania celebrandum Concilium, uel si id haberi non possit, ad nationale, aut Im  
perialem conuentum taquam legitimum in causa fidei & Religionis nostrae iu  
dicium, coniunctim & diuisim in his scriptis prouocamus & appellamus, no  
bisq; a uobis, qui huic actui interestis, pariter etiam a uobis Notario publico,  
seu alio quocumq; qui nobis dare & concedere potuerit & ualuerit, apostolos  
saltem testimoniales, primo, secundo, tertio, instanter, instantius, instantissi  
sime, saepe, saepius, saepissime, dari petimus & repetimus, submitte'tes & sub  
ijcientes nos reliquosq; nostros status, obediētes Ecclesias, & totam prouin  
ciam & quoscumq; nobis adherentes & adherere uolentes, necnon & singula  
res personas eorundem & illorum omnium res, priuilegia, libertates, iura, re  
galia, feuda, dignitates, & statum negotij praesentis, singulari tuitio, defen  
sioni & protectioni praedicti liberi, Christiani & generalis seu nationalis  
Concilij, aut Imperialis conuentus: Insuper aduersus omnes & singulos, cui  
uscumq; status, conditionis & dignitatis fuerint, qui huiusmodi appellatione  
pendente aduersus nos & nostram Metropolitanam Diocesim, ordines, sta  
tus & subditos, adherentes uel adhaesuros, eorumq; bona & res quicquam quo  
modolibet temerario ausu attentare praesumpserint, solenniter, publice & ex  
presse protestamur de nullitate, & pennis huiusmodi innouatoribus & atten  
tatoribus in iure comminatis, eo ipso incurrendis, deq; intimando, insinuando,  
& prosequendo hanc appellationem, necnon causam & causas huiusmodi praes  
tatas loco & tempore congruis & oportunis. Saluo iure addendi, mimiendi,  
& c. & aliam appellationem & appellationes de nouo interponendi,  
prout iuris & moris fuit & est. Super quibus unum uel plu  
ra, instrumentum uel instrumenta in publica & au  
thentica forma nobis conscribi petimus:  
Vosq; omnes, qui hic adestis, ad  
hanc rem conuocati, in  
horum omnium,  
quae  
acta sunt, testes adducimus &  
interpellamus.

B iiij Et ego



# ET EGO IOANNES

RVTGERI DE ARVIELER CLERICVS

Coloniensis publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius, & secularis iudicij Bonnensis Secretarius, Quia praedictae appellationi & apostolorum responsioni, omnibusq; alijs & singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent & agerentur, una cum testibus praenominatis inter fui, eaq; omnia & singula sic fieri uidi & audiui, Ideo hoc praesens publicum instrumentum in octo folijs praecedentibus, manu alterius, me interim aliunde legitime praepedito, fideliter conscriptum exinde confeci, subscripsi, publicauit & in hanc publicam formam redegi, signoq; nomine & cognomine solitis & consuetis signauit, in fidem & testimonium omniu & singulorum praemissorum rogatus pariter & requisitus.

Anno Millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, die quidem Sabbati undecima mensis Iulij est praescripta appellatio in octo folijs praecedentibus fideliter conscripta, & per Notarium publicum subscripta, dominis de Capitulo maioris Ecclesiae Colonien. caeterisq; in eadem expressis insinuata per me Notarium publicum infra scriptum, praesentibus ualido & discretis uiris, Casparo a Neffenn & Ioanne Aruieler, Secretarijs Reuerendissimi domini nostri Colonien. Archiepiscopi, & c. testibus ad praemissa requisitis specialiter atque uocatis.

Ioannes Briell sacra Imperiali auctoritate Notarius publicus, ad praemissa specialiter requisitus insinuauit, & manu propria subscripsit.








































E  
189

XVII

Th

1440a